



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

VWillielmus Malmesburiensis de gestis Regum Anglorum lib. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

*Villielmus Malmesburiensis de gestis Regum
Anglorum lib. 3.*

Sed quia Fuldense Cœnobium nominavi, dicam quod ibidem accidisse vir reuerendus mihi narrauit, Walkerus Prior Maluerniæ, cuius verbis qui non credit, iniuriam religioni facit.

*Fulda ce-
lebre est
in Ger-
mania
Benedi-
ctinorum
Mona-
sterium.*

Non (ait) plusquam quindecim anni sunt, quod in eodem loco, exitialis lues grassata, prius Abbatem corripuit, mox multos monachorum extinxit; superstites primò sibi timere, orationes & elemosynas largiores facere, sed processu temporis, vt omnium hominum natura, pedetentim metu dempto omittere: Cellerarius præsertim qui palam & ridiculè clamitaret, non posse penum tot expensis sufficere; sperasse se nuper aliquod alleuiamentum, pro tot elationibus funerum, nihil vltra spei esse, si quod viui nequissent, mortui consumerent. Itaque cum quadam nocte propter necessaria soporem distulisset diu; tandem elaqueatis morarum retibus, in dormitorium ire pergebat. Et ecce rem miram auditurus es. Videri in Capitulo Abbatem, & omnes qui obierant, illo anno, ex quo excesserant, ordine sedere: timidus & effugere gestiens, vi retractus est. Increpitus & monastico more fragellis exercitus, audiuit verba Abbatis in hanc omnino sententiam: Stultum esse de alterius morte emolumento inhiare, cum fors cuiusque sub eodem pendeat fato. Impium esse cum Monachus omnem vitam in Ecclesiæ consumpserit obsequio, vt careat saltem vnus anni post mortem stipendio. Illum citissimè obiturum; sed quidquid pro eo fieret, ad aliorum quibus abstulerat, refundendum commodum, iret modò, & alios corrigeret exemplo, quos corruerat verbo. Abijt ille, & nihil se vanum vidisse tam recentibus plagis, quàm proximo sui obitu monstrauit.

Idem de gestis Pontificum Anglorum lib. 2.

Interea tabes letifera grassata in Danos, cateruatim hostes Elphengi (fuit hic sanctus, Archiepiscopus Cantuariensis) fundebat, adeò vt celeritas mortis, præueniret sensum doloris. Putor itaq; cadauerū insepultorum, aërem infecit, corruptiorq; cæli tractus, ceteris qui sani videbantur, pestē creauit. Ruebant ergo sine modo, si-

*Festum
eius po-
nitur in
Martyrol.
Rom 19.
Aprilis.*